

S. D. Ut Ecclesia in mundo exulat, ita Doctores Euangelij non sine magnis difficultatibus peregrinantur. Qui cum ingentem thesaurum, videlicet Euangelium filij dei secum circumferant, maxime decet omnes expetere talium hospitium consuetudinem. Et quam grata deo pietas sit eorum, qui Sacerdotes uerae doctrinae interpretes hospitio excipiunt, monet historia Sareptanae uiduae. Nam Deus propter Euangelium conseruat genus humanum, politias & hanc rerum naturam, & impertit uitae comoda. Testamur autem hunc honestum virum Cunradum Cordatum Austriacum Doctorem Theologiae in Ecclesiastica doctrina bene eruditum esse, & Euangelium pure docere, & pijs moribus ac singulari constantia fidei praeditum esse. Hanc enim declarauit non solum in tolerandis communibus ministerij laboribus, in quo summam diligentiam praestitit, sed etiam in alijs durioribus aerumnis. Nam in Pannonia cum in quadam Ecclesia modeste, pie, & legitima uocatione iussus doceret Euangelium, Tyrannici Episcopi eum in carcerem incluserunt non aliam ob causam, nisi quia ueram doctrinam & Ecclesiae necessariam proposuerat. Cumq; spoliato fortunis omnibus minarentur necem, nisi